quo sedebat antonius diuidebat. Videntes
ergo eum admirantur monachi qui venerāt
deprecati sunt vt causam hilaritatis ediceret
Quibus ait Amũ decessisse: quē illi optime no
uerant. At illi notauerũt diem: et venientibꝫ
de nitria fratribus post dies triginta sciscitā
tes repererunt ꝙ illo die illaqꝫ hora Amus
dormierat: qua animā eius ferri senex anto-
nius viderat. Sepe etiã ad se venientiũ tur
barũ ante dies et menses ⁊ causas dixit ⁊ tem
pora. ¶ Tercia ꝑrogatiua beati antonij di-
citur mundialis cõmotio. Intantũ enī san-
ctitatis eiꝰ nomē resplenduit: vt etiã pagani
et idoloꝝ sacerdotes ad eũ videndũ cõuola-
rent. Cõstantinus vero augustus et eiꝰ libe-
ri. Cõstans atqꝫ cõstantius famā eius audiē
tes crebro ad eũ quasi ad patrē missis litteris
obsecrabāt: vt reciprocis eos scriptis exhila
raret. Q̄ ad susceptas ep̄las cõuenienter rescri
psit: laudauit primũ ꝙ xp̄m colerent: deinde
salutaria ꝑsuasit: ne magnā putarēt regiā po
testatē ne p̄ntis carnis imperio tumentes se
homīes esse nescirēt. Ad postremũ clementie
circa subiectos et iusticie cure q̃z inopũ ad-
monuit: atqꝫ vnũ sempiternũ esse regē oīm se
culoꝝ iesum xp̄m ep̄l'is testatꝰ est. His prin
cipes susceptis litteris letabant. Cõfluebāt
ad eum multi vt doctrina et exemplo illius
edificarent. Alij vt orationibus eius sese cõ
mitterēt: atqꝫ sic multi a demonibꝫ obsessi li-
berabant: et a varijs infirmitatibꝫ sanabant
egroti. Archelaus comes rogauit eũ vt ora-
ret ꝓ policratia q̄ in laoditia erat admirabili
et xp̄o dedita virgine: patiebat enī pessimos
stomachi ⁊ lateris dolores: quos ieiunijs ꝑni
mijs vigilijsqꝫ cõtraxerat: et erat penitus to
ta debilis corpore. Orauit antonius: et diẽ
quo oratio erat facta annotauit. Archelaus
redijt laoditiã inuenit virginem incolumē
percunctatus diē sanitatis reperit eo tem-
pore fuisse a doloribꝫ liberatā: quo orās āto-
nius pro ipa bonitatē saluatoris inuocauit.
¶ Quarta ꝑrogatiua sancti antonij dr̄ san-
cta cõsummatio. Cũ enī centũ quinqꝫ anno
rum esset: ꝑdixit monachis sui corpis disso-
lutionē iam immīnere. Cũqꝫ mediocre incõ
modũ senia mēbra turbasset: post exhortatio
nis verba grauissima vocatis ad se duobus
fratribus q̄ sibi familiares erāt. Vos inquit
humo tegite: vos p̄ris operite corpusculũ. et
illud q̃z senis vestri custodite mandatũ: vt ne
mo p̄ter vestrā dilectionē locũ tumuli noue-
rit: confidite in dn̄o: quia necessario resurre-
ctionis tp̄e: hoc corpusculũ resiliet incorru-
ptum: Vestimentoꝝ aũt meorũ sit ista diui-

sio: melotē et paliũ tritũ cui supiaceo athana-
sio episcopo date: qd̄ mihi nouũ ip̄e detule-
rat. Serapion aũt episcopꝰ aliũ accipiet me-
lotem vos cilicinũ habetote vestimētũ: et va-
lete viscera mea: antonius enī migrat: et iam
nõ erit in p̄nti seculo vobiscũ. verba finierat
et osculantibꝫ se discipulis extendens paulu
lum pedes: mortē letus aspexit: ita vt ex hila-
ritate vultus eius angeloꝝ sanctoꝝ q̄ ad ꝑfe
rendā aīam eius venerant p̄ntia nosceretur.
Seruauerunt mandata discipuli et inuolu
tum corpus humo operuerũt. Hic fuit anto
nij magni terminus vite: cuius anima gau-
det in celis. Nos vero deuotõe ardentissima
illum venerari conemur: vt sic eius interue-
nientibus meritis ꝑuenire valeamus ad illā
gloriā in qua iesus filius dei viuit et regnat
per infinita secula seculoꝝ. Amen.

¶ Sermo sexagesimustercius de liberalita-
te sancti gregorij pape: ꝓpter quā deo et homi
nibus se amabilē exhibuit.

Hilarem enim da
torem diligit deus. Doctoris gen-
tium ꝟba sunt ista originaliter. ij.
ad Corinth. ix. ca. Dat deꝰ pijssimus pater
creaturis beneficia sua affluēter: et nõ impro
perat: vt Jacobꝫ asserit. i. c. sue cano. Propte
rea diligit illos qui eum imitari conant. est
enim similitudo amoris causatiua. Et vt in-
quit Seneca in. iij. de beneficijs. Magni a-
nimi est et magnifici iuuare ꝓdesse: q̄ dat be-
neficia deos imitat. Cum aũt hoc ex liberali
tate ꝓueniat: ideo gregorius diuitias quas
possidebat liberalissime dispensauit. Est aũt
liberalitas que hominē nõ tm̄ deo sed etiam
hominibꝫ amabilē reddit. Vñ Tullius in
primo de officijs ait. Quanqꝫ omnis virtus
nos ad se allicit: facitqꝫ vt eos diligamus: in
quibꝫ ipa esse videat: tñ iusticia et liberalitas
id maxime efficit. Propterea beatũ gregoriũ
cõmendare cupiētes de ipius liberalitate in
p̄nti sermone dicemus. Ob ipam nāqꝫ dile-
xit eum deus: qr vidit eũ hilarem in donādo.
De cuius liberalitate tria mysteria ꝓponimꝰ
cõtemplanda.
Primũ dicit oppositionis.
Secundũ determinationis.
Terciũ retributionis.
¶ Qualiter beatus gregoriꝰ opposuit libera
litatem vicio auaricie. Et quare liberalitas
est virtus: cuius officiũ est donare. Et quo-
modo est pars iusticie.

¶ Capitulũ. i.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-521/0345
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG